

ILLUSTR.^{MO} AC REVER.^{MO}

VINCENTIO LAURO

MONTISREGALIS

CARDINALIS S. R. E.

ERUDITISS.

Cum primas paginas, huius nostræ novæ philosophia legisses, petisti ab Alexandro Burgio, Modianæ persule, viro eruditissimo, et nostro, inter primos amico, ut tuo nomine a me postularet, ut universum hoc opus ad te transmitterem. Petitio hæc tua, visa est significationem dare, non male, de nostris his laboribus, te mente concepisse. Hoc vero conceptu tuo, concepi et ego, felices hosce labores meos futuros, quando vir, quotquot orbis caput Roma, quot quot orbis totus haberet doctissimus, eos dignaretur et cuperet. Quis enim virorum, etiam in omni doctrinarum genere selectissimorum, tibi, non dico præferatur, sed conferatur? Itaque maximam animo meo spem concepi, si tibi tali, ac tanta dignitate viro, index ille primus tantum placuisset, fore ut et cætera tibi, et cæteris sapientiæ deditis hominibus, aut placerent prorsus, aut prorsus non displicerent, itaque hoc tam prospero auspicio, cum opus vix imprimi cæpisset, quæ indies excudebantur, ad te per singularum hebdomadarum tabellarios, mittere cæpi lætus. Et in eo ad te mittendi officio debito, ad hanc usque diem perseveravi. Quod tibi, frequentibus tuis litteris gratissimum esse significasti. Mihi vero, quid unquam, aut gloriosius aut fortunatius poterat contingere, quam scripta mea, a te summo et nostræ, et præteritarum ætatum Philosopho, ac summo Theologo, summaque rerum omnium summarum eruditione, non solum ornatissime sed etiam præstantissime in tanta haberi existimatione, ut ea, et sponte peteres, et habita legeres, et lecta laudares, et mihi gratias etiam referes. Hoc unum Card. Sapientiss. tranquillitatem animo meo, et parare debet, et iam paravit, et parat, contra obtreptatorum morsus. Sunt enim sciorum, et repressorum plena omnia, qui non nisi suas quisquilias, qui non nisi Aristotelica, amant, laudant, efferunt. Efferunt autem ignari, et philosophiæ multam falsitatem, et impietatis, magna copia venenum. Iam diu enim, in orbe nostro, in publicis omnibus gymnasiis, desiit, libere, ac per philosophandi ratio, quæ tanta olim apud Chaldæos, apud Magos, apud Brachmanas, apud Aethiopus, apud Lybios, apud Aegyptios, apud Hebræos, apud Phoenicas, apud Phrygas, apud Thracas, apud Grecos, apud Gallos, apud etiam Romanos, in Platonicis denique scholis, ingenti fama, et gloria floruit. Ab Aven Rois autem seculo, qui circa MC scripsit annum, ad hanc usque ætatem, nescio quo malo fato, totius Europæ ingenia, Soli uni Aristoteli, se se alligarent, ut apud eum in compedibus, altercando tantum, sedere, et ætatem malint consumere, quam libere per orbem, per naturæ miracula, contemplando vagare; quam naturæ authorem Deum cognoscere, et in eius contemplatione, et amore, et veneratione, et adoratione versari. Hæc nobis ingeneravit unius Arabis, tum ignorantia, tum arrogantia, tum etiam ignavia nostra, ut eo, quem nobis liberum Deus donavit intellectum, neque sciamus, neque audeamus, neque velimus uti. Quam autem perperam, quanto damno, quanta pernicie nostra, id a nobis fiat, facillime, et agnoscat, et agnoscat is, qui ex eo ergastulo, mente a vinculis soluta, libros Panarchiæ nostræ, omnes quidem, sed precipue priores octo, quos tibi sacri Senatus Senatori optimo, ac sapientissimo dedicamus accurate perlegat. In quibus, illud quoque intelliges, quam possint humana ingenia, etiam aliter, quam apud solum Aristotelem philosophari, et melioribus uti demonstrationibus, et contemplando sublimius, quam ille fecerit, attolli. Hosce igitur octo, non metaphysicos, quo nomine Peripatus, non satis Græco, non satis rei accommodato, non satis preceptoris sententiam explicante, quosdam eius libros appellavit. Sed qui de principio uno, quærendo, inveniando, stabiliendoque, sunt nobis instituti. Quos omnium philosophorum tibi, et sapientia, et